9504

A die 1ma usque ad 6tam Decembris. Sputorum copia ultra dimidium decrevit, febris ac oedema pedum evanuere, corporis vires adauctae, reſpiratio libera, nullus fere pectoris dolor, pulſus tardi ac fortes.

A die 6ta ad 12mam. Omnia morbi ſymptomata evanuere, parca ſolummodo adhuc ſputa eiiciuntur. Nox bona. Ceterum functiones in vigore verſantur. Adpetitus bonus, ac pulſus in ſtatu ſano.

A die 12ma usque ad 20mam. Sputa pedetentim ita decreverunt, ut nulla amplius obſerventur. Nulla denique ſymptomata adparent in pectore morboſa; functiones omnes ut in ſtatu ſano procedunt. Hinc omnem medicamentorum uſum ſepoſuimus, ac diaetam ſolum lautam cum vino praeſcripſimus. Hisce continuatis aeger omnino reſtitutus die 30ma noſocomio exceſſit.

Poſt longum tempus, ex quo iam in urbe munere ſuo fungeretur, eum optime valentem, validum ac robuſtum vidimus, et neque tuſſi neque moleſtia in reſpirando, neque pectoris dolore ſe eſſe adfectum ipſe adfirmavit.

Heller.

UNIVERSITÄTS BIBLIOTHEK HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/annales_instituti_medico_clinici_wirceburgensis1799/0239
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die DFG